



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale  
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]  
voluminibus edita

**Speciano, Cesare**

**Brixiae, 1603**

Tit. V. De Officio Archipresbyteri vel Plebani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10553**

## DE CONSVETVDINE.

Vbi ius optandi extat qualiter fructus inter optantes diuidantur.



**V**IBVS in Ecclesijs optionis ius est, vbi dimidia pars fructuum præbende in illius vacatione, vel sacristie, vel fabricę Ecclesie soluitur, ea pars pro ratione præbende, quę primò vacauit, soluitur.

Idę ab omnibus præstetur, qui ordine deinceps singuli occasione illius vacationis, vel ad eam ipsam obtinendam optionis iure vsi sunt, vel ad alias consequendas, quę occasione optionum successiue vacarunt, ita vt vnusquisque soluat pro rata tantum accessionis redditum, sibi illo ipso optionis iure facta. Hęc porro solutio, vbi quisq; primi anni fructus ex præbenda, quam sibi iam optauit, perceperit, statim ab eo præstetur. Reliqua item, quę de parte fructuum dimidia persoluenda olim decretis nostris constituta sunt, ad eorum præscriptum seruentur.

## DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Celebranti Episcopo Archidiaconus deseruiat.

Cap. 2.  
de off.  
Arch.



**A**RCHIDIACONVS etiam si sit sacerdos, vel præbendam etiam sacerdotalem, præter Archidiaconatum, obinet, missa sacrum solenniter Episcopo celebrante, sui quod est muneris, Euangelium canat.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI  
vel Plebani.

Oleum, seu Chryisma sacrum, quibus in libro describendis consignandum, & qualiter ægris deferendum sit.



**V**I in Ecclesia Cathedrali id muneris datum est, vt oleum, aut Chryisma sacrum Plebanis, alijsue distribuatur, is in librum, eo nomine confectum, illarum Ecclesiarum nomina referat, quibus dederit. Pari ratione Prepositi, Plebanive libro notent eas Ecclesias parochiales, quibus singulis annis sacra olea distribuunt. Ij verò omnes ne illa alijs deferenda dent, nisi ijs, qui sacris ordinibus initiati sunt. Hoc ipsum etiam seruetur cum Parochus ad sacrum oleum ægris ministrandum accedit, vt ipse scilicet, non laicus homo, illud in itinere deferat.

DE